

137

135

141

131

146

126

186

086

236

036

Ende

Anfang

122

magnitudo; nec navingantibus desunt formidines frequenter et ictus undarum; nunc denique gubernator totos sinus securus explicuit. In mundo et mari rara sunt prospera, densa sunt turbulenta, expavescitur, timetur, morbi quoque non desunt; solus exitus securitatis est portus.

De politia, quae servatur in regimine galæae.

Politia navalis inter omnes politias est ordinatissima; ideo Aristoteles et alii politicantes communiter exempla sumunt a politia navali, eamque inducunt, ut patet in principio primi Ethicorum. Est enim in navi maxime communitas domestica, quae alias omnes communitates includit, quia nec regnum, nec civitas, nec vicus esse potest sine ea, et est principium omnium. Domus autem perfecta requirit tres communitates, scilicet viri et uxoris, domini et servi, patris et filii. Prima communitate domus navalis caret; secundam perfectissime habet; tertiam vero similitudinarie continet. Ibi est dominus patronus cum multis servis; est idem patronus pater et tutor peregrinorum, qui sunt quasi filii. Aristoteles primo Politicorum tria ponit domus regima, primum conjugale, secundum, quod vir praeest uxori, et hoc iterum inest in navi, cuius ratio est, quia vir habet uxorem, ut generatione mediante perpetuetur communitas domus; communitatem autem navis nemo appetit perpetuari, sed potius citius corrumphi per adeptionem optati portus. Secundum regimen est paternale, secundum quod pater praeest filiis; et hoc est inter patronum et peregrinos, quantum ad obtemperantiam, quia decet eos obtemperare patrono. Tertium est regimen dominativum et dispoticum, secundum quod dominus praeest servis, et hoc regimen est praestantissimum et ordinatissimum in domonavali. In qua (47 A) dominus patronus primus motor et praeceptor alios subordinat aliis et praeponit, ipse vero quasi immobilis rex et gubernator existit, ad cuius nutum navis ducitur, quo tendit. Nam de arte navigandi se non intromittit, nec eam scit, sed solum jubet eam duci huc vel illuc. Omnes in navi eum verentur et magnæ causæ tam inter peregrinos quam inter galætas emergentes ad eum devolvuntur. Nec constituitur aliquis galæac, praesertim

